

Hanc poenitentiam Ninivitarum Christus ipse exempli loco adducit,
Matth. XII, 41. Luc. XI, 32.

Nos 1. Ibidem animadvertimus, quod DEUS *ministrò*, Jona scilicet,
sit usus.

2. Genuina *causa poenitentiae* indicatur. Non enim Ninivitarum propter
honestatem naturalem, sed vocationem divinam poenitentiam
agebant.

3. Indicatur etiam *subjectum*, Ninivitarum scilicet.

4. *Contritio* indicatur, quem per externa opera demonstrarunt.

5. Fides in v. 6. 10. Possent quidem illa verba *dubitativè* posita videri,
verum quaestio illa non est *dubitantium*, sed cum certitudine quâ-
dam aliquid *affirmantium*.

6. *Stipulatio* novae obedientiae habetur v. 9.

ANTITHESIS.

1. Omnis generis *Hereticorum*.

2. *Novatianorum* veterum, qui post poenitentiam actam denuò lapsis
poenitentiam denegabant.

3. *Pontificiorum*, qui nullam partem poenitentiae relinquunt integram.

4. *Calvinianorum*, qui mortificationem & vivificationem in Cate-
chesi Heidelbergensi partes poenitentiae constituunt.

ARTICULUS XIX.

DE

ECCLESIA.

APHORISMUS I.

Ecclesia est congregatio sanctorum, in qua Evangelium
rectè docetur & ritè administrantur sacramenta.

EXPLICATIO.

Sunt verba Augustanae Confessionis.

I. Ecclesia.

1. Vocabulum hoc non accipitur *in totâ suâ latitudine*, prout notat cœ-
tum vocatorum, sed *restrictè*. Generaliter accipitur, Act. XIX, 39.

Rrr 2

2. Signi-